gold quoque non infimus Sueuiæ matris filius Saxoniæ obijt, ac propter fidele seruitium imperatricis Adelheidæ per se exhibitum ipsa comitante Quedelingnensem aduehitur ciuitatem, ibique honorificè sepelitur.

Mangold. E.

DCCCCXCII.

Gloriosissima et famosissima dedicatio sanctæ Halberstadensis ecclesiæ facta est XVII. Calend: Nouemb: à uenerabili suo prouisore Hildeuardo episcopo anno suæ ordinationis XXIIII. quam secum in typo apostolicæ dignitatis, duodenario numero XI. episcopi consecrauerunt, uidelicet. Vuilligisus Archiepiscopus Moguntinus. Gisilharius Magdeburgensis archiepiscopus, Lieuizo Hamburgensis archiepiscopus: Ludolfus Augustanus episcopus: Hildeboldus Vuormatiensis episcopus: Rethrius Padarburnensis episcopus: Erp Fardunensis episcopus: Vrsus Padauanus episcopus. Hug Citinensis episcopus. Raginbratus Mikilanburgensis episcopus. Ad hæc Agio Capuanus archiepiscopus. Reinvardus Tridentinus episcopus. Manso Cassinus abbas. Thiatmarus abbas Corbeius. Luzo Lunaburgensis abbas. Othradus abbas Mersburgensis. Lantbrecht Longhelus abbas, præsente rege sereno tertio Ottone, suaque auia Adelheide augusta præclara, et filia sua gemma regia stirpis perlucida Machtilda, et nepte sua Haduin ueneranda abbatissa: duce quoque Bernhardo et Leidulfo comite Capuana; et præfectis atque proceribus plurimis, et innumera atque inæquiparabili multitudine cleri ac populi, in laudem dei conclamantibus, dedicantes, præfatam ecclesiam orando iuuerunt XII. Calend: Nouembris.

Dedicatio Halberst. — Hildeuardus. — Episcopi XII. — Willigis. Gisilharius. Lieuizo. Ludolfus. Hildeboldus. Rethrius. Erp. Vrsus. Hug. Raginbratus. Ep. — Agio. — Reinardus Ant. — Abbates. — Adelheide. Machtilda. Haduin. Bernhardus D.

Totum coelum ter in nocte uisum est rubrum fuisse. Hoc eodem anno Gerdargus Hildeshemensis episcopus orationis causa Romam perrexit, et inde reuersus in Longobardia obiuit, et presbiter suus Suideboldus, et diaconus suus Bodo eiusque frater Hroprecht et camerarius suus. Successit autem sibi Beruardus episcopus.

Gerdragus Ep. E. — Bernardus Ep.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden